



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Lingva Avrea Christianorvm

Ruben, Leonhard

Padibornae, 1606

Capvt 57. Loqui debent Prophetæ, & concionatores, Apostoli, & prælati, & quibus incumbit proximorum cura, & licet quoq[ue] id mulieribus.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56433)

lescentiam contemnat: sed exemplum  
esto fidelium in verbo, in conuersatio-  
ne, in charitate, in fide, in castitate.  
Dignæ Episcopo partes. Et rursus,  
cū graui attestatione numinis di-  
uini inquit, 2. Tim. 4. 1. Testificor  
coram Deo, & Iesu Christo, qui indi-  
caturus est uiuos & mortuos, per ad-  
uentum ipsius, & regnum eius, pradi-  
ca uerbum, in sta opportune, importu-  
nè: argue, obsecra, increpa in omni  
patientia & doctrina. Erit enim tem-  
pus, cū sanam doctrinam non susti-  
nebunt, sed ad sua desideria coacer-  
uabunt sibi magistros, pruriētes auri-  
bus, & à ueritate quidem auditum a-  
uertent, ad fabulas autem conuertentur.  
Tu uerò uigila, in omnibus labo-  
ra, opus fac Euangelistæ, ministerium  
tuum imple, sobrius esto.

## CAPVT LVII.

Loqui debent Prophetae, & concionatores, Apo-  
stoli, & prelati, & quibus incumbit proximo-  
rū cura, & licet quoq; id mulieribus.

Pro-  
pheta  
& con-  
cionas-  
tores  
loquā-  
tur.

**Q**VINTÒ, huc spectant Prophe-  
tæ & concionatores, quibus  
dicitur id, Isa. 58. 1. *Clama, ne cesses,  
quasi tuba exalta vocem tuam, & an-  
nuncia populo meo scelera eorum, &  
domui Iacob peccata eorum.* Cùm Ie-  
remias Propheta prætendens pue-  
ritiam, assereret se nō posse loqui,  
inquit Dominus, Ier. 1. 7. *Noli du-  
cere: puer sum: quoniam ad omnia  
qua mittā te, ibis: uniuersa quaecunq;  
mandauero tibi, loquēris.* Et ver. 10.  
*Ecce dedi verba mea in ore tuo: ecce  
constitui te hodie super gentes, & su-  
per regna: ut euellas, & destruas, &  
disperdas, & dissipes, & edifices, & plas-  
tes.* Nec minori autoritate vult vt  
loquatur Ezechiel, nam Ezech. 2. 3.  
sic ad illum inquit, dans etiam illi  
librum, in quo lamentationes, &  
carmen, & vq; scripta, deuorādum.  
*Fili hominis, mitto ego te ad filios I-  
sraël, ad gentes apostatrices, quæ re-  
cesserunt a me: ipsi & patres eorum*

*prauaricati*

prauaricati sunt pactum meum usq<sup>3</sup>  
ad diem hunc. Et filij dura facie, & in-  
domabili corde sunt, ad quos ego mitto  
te: & dices ad eos: Hec dicit Domi-  
nus Deus: Si forte vel ipsi audiant, &  
si forte quiescant, quoniam domus ex-  
asperans est: & scient quia propheta  
fuerit in medio illorū. Tu ergo fili ho-  
minis ne timeas eos, neq<sup>3</sup> sermones eo-  
rum metuas: quoniā increduli & sub-  
uersores sunt tecū, & cum scorpionibus  
habitas: verba eorū ne timeas, & vul-  
tus eorū ne formides, quia domus exa-  
asperans est. Loquēris ergo verba mea  
ad eos, si forte audiāt, & quiescāt: quo-  
niā irritatores sunt. Tu autem fili ho-  
minis audi quacunq<sup>3</sup> loquor ad te: &  
noli esse exasperās sicut domus exaspe-  
ratrix est: aperi os tuū, & comede qua-  
cunq<sup>3</sup> ego do tibi. Et vidi, & ecce ma-  
nus missa ad me, in qua erat inuolutus  
liber: & expādit illū corā me, qui erat  
scriptus intus, & foris: & scripta erāt  
in eo lamentationes, & carmen, & va.

Sic & idem Ezechiel cap. 13. 18. contra eos Prophetas, qui vitia minimè carpunt, aut perstringunt, sed peccatoribus blandiuntur, inquit. *Va qui confusant puluillos sub omni cubito manus; & faciunt cervicalia sub capite uniuersæ atatis ad capiendas animas: & cum caperent animas populi mei, viuificabant animas eorum. Et violabant me ad populum meum propter pugillum hordei & fragmen panis, ut interficerent animas, que non moriuntur, & viuificarent animas, que non viuunt, mentientes populo meo credenti mendacijs.* Grauiùs verò ipsum Propheta monet ne conticescat, cum reprehendendus est peccator. Nam cap. 3. 17. † 33. 7. sic inquit. *Et tu fili hominis, speculatorem dedi te domui Israël: audiens ergò ex ore meo sermonem, annuntiabis eis ex me. Si me dicente ad impium: impie morte morieris, non fueris locutus ut se custodiat impius à*

via sua: ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram. De se conqueritur Isaias, dicens. Isa. 6. 5. *Va mihi quia tacui.* Ionas quoq; Prophe- ta quia viros Niniuitas reprehendere renuit, in mare præcipitatus, à pisce, Ion. 2. 1. deuoratus fuit.

Sextò, idè dicendum de Aposto- Apos-  
toli. lis, quorum sonus in omnè terrã, Psal. 28. 5. exiuisse scribitur. Quin & D. Paulus de se inquit. 1. Cor. 9. 16. *Va mihi si nõ euangelizauero.* Dixit enim paulò ante, quòd id munus ex necessitate illi incumbat. Sic enim dum D. Paulus Corinthi fuit de eo scribitur 2. Act. 18. 9. *Dixit autem Dominus nocte per visionem Paulo. Noli timere, sed loquere, & ne taceas, propter quòd ego sum tecum; quoniam populus est mihi multus in hac ciuitate.*

Septimò, huc spectant Præla- Præ-  
lati. ti, & ij maximè, qui priùs tacere di-

dicerunt, antequam docuerunt, aut locuti sunt, iuxta id, Eccli. 18. 19. *Antequam loquaris disce.* Tales fuerunt S. Benedictus, D. Gregorius, D. Anthonius, D. Bernardus, & alia religiosorum Ordinũ lumina: quibus omnia etiã ea ferè conueniunt, quæ numero quinto diximus, dicta ad Ezechielem David etiam Psal. 39. 10. vbi inquit. *Anunciavi iustitiam tuam in Ecclesia magna, ecce labia mea non prohibebo: Domine tu scisti.* Ad, quæ alludens D. Benedictus cap. 2. regulæ sic inquit: Sciatq; Abbas culpæ Pastoris incumbere, quicquid in ouibus paterfamilias vtilitatis minùs potuerit inuenire. Tantum iterum liber erit, si inquieto vel inobediẽti gregi Pastoris fuerit omnis diligentia attributa, & morbidis earũ actibus vniuersa fuerit cura exhibita: Pastor earum in iudicio Domini absolutus, dicat cum Prophe-

ta Domino. *Iustitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam & salutare tuum dixi: ipsi autem contemnentes spreuerunt me.* Et tunc demum inobedientibus curæ suæ o- uibus pœna sit eis præualens ipsa mors. Iam prô dolor plurimi sunt prælati, qui peccata subditorum dissimulant, neq; eadem arguunt, qui cum animarû sibi creditarû ratione Deus exposcet, & cum flama infernalis pice & sulphure mista os eorû impleuerit, optabunt se locutos per se, aut suos fuisse: at tû tardatû esse, magno suo malo sentiêt.

Octauò, huc spectant omnes, in quocunq; tandem officij genere, tã Ecclesiastico, quàm polytico, quib<sup>9</sup> aliorû & proximi salus concredita. Sic Eccli. 4.27. *Ne reuerearis proximum tuum in casu suo, nec retineas verbum in tēpore salutis.* Sic laudã- di quatuor illi viri leprosi, quorû fit mentio 4. Reg. 7. 9. qui tantam

Qui-  
bus a-  
liorum  
salus  
concre-  
dita.



abundantiam rerum omnium in castris Syriæ inuenerunt, & dixerunt. *Non rectè facimus, hæc enim dies boni nunciij est. Si tacuerimus, & noluerimus nunciare usq; mane, sceleris arguemur: venite eamus, & nuntiemus in aula regis.* Hic tamen summo opere dolendum, inueniri nonnullos, qui sermones potius detractorios contra eos instituunt, quibus aliorum cura commissa, & de rationibus quibus sibi met commisi sunt, iuuandis, rariùs agunt, & loquuntur, videtes festucam in oculo alieno, Matth. 7. 4. trabem verò in proprio oculo minimè considerantes.

*Pijs  
quibus  
dam  
mulie-  
ribus.*

Nonò, pijs etiam & magni meriti mulieribus loquendi potestas data. Nam & Spōsæ labia, Cant. 4. 11. vt fauus distillās. Et Esther orat, Esth. 14. 13. *Tribue sermonē compositū in ore meo, in cōspectu leonis, Regis scilicet Assueri.* Sic Iudith contra

Holo-

Holofernem orat. Iudith. 9. 13. *Capiatur laqueo oculorum suorum in me, & percuties eum ex labijs charitatis meae.* Et vers. 18. *Memento Domine testamenti tui, & da verbum in ore meo & in corde meo consilium corrobora, &c.* Huic petitioni Dominum annuisse patet. cap. 11. 18. cum dicitur de Iudith. *Placuerunt autem omnia verba hac coram Holoferne, & coram pueris eius, & mirabantur ad sapientiam eius, & dicebant alter ad alterum. Non est talis mulier super terram in aspectu, in pulchritudine, & in sensu verborum.*

## CAPVT LVIII.

Septendecim praecepta obseruanda illi  
qui loqui voluerit.

I.

**A**ssidua non sit in ore tuo nominatio Dei. Quod cauet Ecclesi. 23. 10. dicens. *Nominatio Dei non sit assidua in ore tuo, & nominibus Sanctorum non admiscearis, quia non*

*Assidua nominatio Dei cauenda.*